

tiam. Quamvis enim id verum concedatur in ordine ad gratiam specialem aut efficacem, in quem sensum explicatur illud Pauli 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci*; respective tamen ad gratiam sufficientem et dabilem connaturaliter, locum non habet in statu naturæ lapsæ et una reparatæ, ubi *CHRISTUS venit peccatores salvos facere*: et homo quidem propter peccata damnatur ad pœnam, propter non usum gratiæ autem non salvatur. 4°. Minus communiter jam statuuntur *auxilia remote sufficientia* esse tantum ordinis intrinsece naturalis; cum communior doceat ea stare in illustrationibus et inspirationibus supernaturalibus, quibus infideles v. g. non quidem immediate ad *perfectam* et explicitam mysteriorum supernaturalium *fidem*, sed ad supernaturale saltem aliquod veræ religionis ac beatitudinis desiderium, aut actum alium excitantur, qui tanquam dispositio aut inchoamentum conducit ad fidem, potestque dici *fides late dicta*; siquidem juxta hanc doctrinam clarius et facilius percipiuntur S. Scripturæ effata de voluntate salvandi omnes, de morte Christi pro omnibus, aliisque ejusmodi veritatibus: servatur major ac debita gratiæ acceptio: Patrum et Conciliorum phrasis ac sensus communior retinetur.

ARTICULUS II.

AN ET QUALIS GRATIA NECESSARIA SIT AD ACTUS SUPERNATURALES?

291. *Dico I.* Ad omnes *actus salutaris*, h. e. qui juxta S. AUG. vel ad pietatem et veram justitiam, cui merces æterna debetur, spectant, ut sunt ex Conciliis ARAUS. et TRID. credere, sperare, diligere, pœnitere, sicut oportet, ut homini justificationis gratia conferatur; etiam ad *initium fidei* et *pium credulitatis affectum*, requiritur auxilium gratiæ interioris et supernaturalis. Est de fide, et definitum, tum a PONTIFICIBUS, tum a CONCILIIIS, maxime a CARTHAGINENSI AN. 418. contra *Pelagianos*, et ARAUS. II. AN. 529. contra *Massilienses* congregatis, quorum canones dogmaticos universa veneratur Ecclesia; quibus accedit auctoritas TRIDENTINI, quod Sess. 6. can. 3. definit: *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: anathema sit.*

Prob. EX SCRIPTURA, quæ innumeris locis, præsertim si ad mentem Patrum et Conciliorum intelligantur, bonam voluntatem et actionem nostram, ipsamque fidem attribuit gratiæ divinæ. Speciatim vero de fide, ad Philipp. 1. v. 29. *Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, sed ut etiam pro illo patiamini.* Et ad Ephes. 2. v. 8. *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis, Dei enim donum est; non ex operibus, ut ne quis gloriatur.* Item 1. ad Cor. 7. v. 25. *Misericordiam consecutus (sum) a Domino, ut sim fidelis.* De pia affectione, ad Philipp. 1. v. 6. *Qui capit in vobis opus bonum, perficiet usque in diem Christi Jesu.* Et c. 2. v. 13. *Deus est, qui operatur in vobis et velle et perficere pro bona voluntate.* Item ad Rom. 9. v. 16. *Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Ex his manifeste apparet, omnia *Pelagianorum* aut *Massiliensium* effugia esse præclusa, quæ vel a gratiæ varia acceptione, vel a distinctione in opus perfectum et initium operis, vel a potentia saltem simpliciter tali, licet minus facili quærebantur,

Conf. 1. AUCTORITATE PATRUM, ac præsertim S. AUG., qui viginti annorum indefessis laboribus et libris plusquam triginta, orthodoxam de divina gratia doctrinam sanctissime discussit, ejusque necessitatem tum contra *Pelagianos*, tum contra *Massilienses* invictissime demonstravit. Unde merito COELESTINUS Papa, aliique post illum, ejus quoad hunc articulum dogmata prædicarunt, ARAUSICANUM autem Concilium suis canonibus inseruit.

Conf. 2. RATIONE THEOLOGICA. Salus vitæ æternæ est supernaturalis; ergo etiam *actus*, qui ad eam conducunt, debent esse supernaturales; quia inter finem et media debet dari proportio. Item fides, justitia vera, et adoptio filiorum Dei est gratia Dei: si autem gratia, jam non est *ex operibus*; quia opera humana nec proportionem, nec ullam connexionem habent ad donum vel præmium supernaturale: exigitur tamen a nobis fides, spes, charitas, et bona opera; ergo exiguntur opera, non humana, sed divina, sive per specialem *Dei gratiam* facta.

292. *Dico II.* Ad quemlibet actum salutarem etiam *in justo* requiritur gratia actualis, qua excitetur ad agendum.

Prob. I. EX SCRIPTURA Joann. 15. Christus se viti, et discipulos palmiti confert, et TRID. Sess. 6. de justif. c. 16. sic docet: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent, etc.* Ex quibus verbis liquet 1°. Quod ad opera salutaria quæcumque requiratur gratia Christi. 2°. Quod Concilium non loquatur de gratia habituali, cum verba: *Christus in ipsos justificatos virtutem jugiter influit*, denotent auxilium actuale. 3°. Quod loquatur etiam de actuali excitante; cum gratia, quæ præcise est adjuvans, non possit dici *antecedens*.

Prob. II. EX CONCILIIIS. Tridentinum mox relatam est, et ARAUS. II. etiam clarius et frequentius eandem veritatem exponit can. 9. 20. et 25. *Nullum posse credere, amare, et operari, sicut oportet, nisi eum gratia et misericordia divina præveniat.... In omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nobis inspirat.* Quæ omnia sicut ad singulos actus necessitatem gratiæ prævenientis enuntiant, sic de justorum etiam operibus vera esse oportet.

Prob. III. EX PATRIBUS, quorum duos duntaxat, sed clarissime loquentes audire juvat. Ita enim S. HIERON in c. 25. Jerem. v. 3. scribit: *Ut hoc ostendat, Dei nos semper indigere auxilio, et nunquam posse sufficere, quod semel datum est, nisi quotidie Domini admonitione renovetur.* Et S. AUG. L. de Nat. et Gr. c. 26. *Sicut oculus corporis etiam plenissime sanus, nisi candore lucis adjutus, non potest cernere, sic homo etiam perfectissime justificatus, nisi æterna luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Vid. sup. dicta ex Enchir. c. 32. et L. 1. ad Simplic. q. 2.

Prob. IV. EX RATIONE. Ea autem duplex præprimis est, et utraque ex S. AUG. desumpta. 1°. Est; quia justus sæpe vel voluntarie distrahitur; ergo, ut redeat ad negotium salutis, indiget admonitione et excitatione Dei. Ita nempe AUG. L. de Spir. et litt. c. 34. n. 60. *Nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem.* Item: *In omnibus misericordia ejus prævenit nos.* Et L. 83. QQ. q. 68. n. 5. *Nec velle quisquam potest, nisi admonitus.... et si quisquam sibi tribuat quod venit vocatus, non sibi potest tribuere quod vocatus est.* 2°. Est;

quia ex S. AUG. L. de prædest. SS. c. 2., L. de bono persev. c. 8. *prius est cogitare, quam credere velle, aut operari*. Sed sancta cogitatio est gratia Dei; ergo.

293. *Dico III.* In statu naturæ lapsæ probabilius ad actus salutares non solum *illustratio*, sed etiam *affectio* supernaturalis est necessaria.

Prob. I. Ex CONCILII. CARTHAGINENSE in responso ad epist. Zosimi sic scribit (Labb. t. 2. p. 1613. E.): *Præparatur voluntas a Domino, et ut boni aliquid agant, paternis inspirationibus suorum ipse tangit corda fidelium*. ARAUS. Can. 7. definit, *nihil boni, quod ad salutem pertineat, fieri posse absque illuminatione et inspiratione Spiritus sancti*; quibus adde verba TRIDENTINI Can. 3. num. 291. Sed inspiratio vel unice, vel saltem proprie ac præcipue significat actum voluntatis ac piam affectionem; ergo.

Prob. II. Ex S. AUGUSTINO qui, ubi necessitatem gratiæ explicat, usurpat passim voces, quæ *voluntatis* motum sonant. Præterea disertis ille verbis sæpius necessitatem *delectationis* in voluntate contra Pelagium inculcat; sic, e. g., illud Joann. 6. *Nemo potest venire ad me etc.* Tract. 26. in Joann. exponens, per tractionem maxime designat voluntatis affectionem, dum inquit n. 4.: *Nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, delectatur beatitudine, delectatur justitia, delectatur sempiterna vita, etc.*

Prob. III. Ex RATIONE; quia voluntas hominis modo non ignorantia tantum, sed *infirmate* etiam impeditur: cum autem utraque sanari debeat per gratiam excitantem, ut homo deliberate operetur secundum dicta S. AUG. L. 2. de pecc. mer. c. 17., et D. THOMAS 1. 2. q. 109. a. 1. ad 3. statuat, naturam humanam magis esse corruptam per peccatum, quantum ad *appetitum boni*, quam quantum ad cognitionem veri; sequitur, quod voluntas per supernaturalem affectionem debeat sanari, inclinari et juvari, ut deliberatam actionem salutarem ponat.

Dixi 1^o. *In statu naturæ lapsæ*; cur enim in statu naturæ integræ præveniens gratia voluntatis necessaria non fuerit, dictum est supra. Dixi 2^o. *Probabilis est necessaria*; sunt enim auctores graves, qui, saltem absolute loquendo, negant necessitatem gratiæ excitantis, quæ immediate afficiat voluntatem, voluntque eam sufficienter excitari posse per gratiam intellectus.

294. *Obj. contr. 1^{um}.* Actus salutares in hac providentia elevatæ naturæ nobis præcipiuntur; ergo non debent superare nostras vires; cum alias Deus præciperet homini impossibilia. *Conf.* Deus liberrime et prorsus *gratuito* confert gratiam; ergo potest illam non conferre. Dato casu, quo non confert, actus salutaris non erit in potestate hominis, et præceptum de actu salutari erit impossibile.

R. D. C. Actus supernaturales non debent superare vires nostras adjutas per gratiam C. pure ac nude in se spectatas N. Quod est impossibile per naturam, fit possibile per gratiam, quam Deus liberaliter offert et confert; unde actum salutarem præcipiendo nihil impossibile præcipit.

Ad Conf. D. Cons. Deus potest gratiam non conferre absolute loquendo C. facta suppositione, quod præcipiat, aut suadeat actum salutarem N. Quamvis in hac hypothesi, ne impossibilia præcipiat, Deus necessario det gratiam;

tamen *gratuito* illam confert, quia non datur intuitu meritorum naturalium aut ad exigentiam rei cujusdam naturalis; sed præcise propter gratuitum decretum, quo Deus statuit hominem elevare ad finem supernaturalem, atque ad eum obtinendum præcipere actum salutarem. Præterea confert etiam *liberrime*; quia hoc decretum sicut est liberrimum, sic et gratia ab eo dependens absolute loquendo Deo liberrima est. *Necessitas* vero illa consequens ad decretum Dei non tollit rationem gratiæ, sed duntaxat præstat, ut sit gratia ex gratia.

295. *Obj. contr. 2^{um}.* In Conc. ARAUS. Can. 25. duo definiuntur, ex quibus apparet, ad actus salutares hominis justi non requiri, nisi auxilium gratiæ cooperantis seu adjuvantis. 1^{um}. *Hoc etiam secundum fidem Catholicam credimus, quod accepta per baptismum gratia omnes baptizati Christo auxiliante et cooperante, quod ad salutem pertinet, possint et debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere*. 2^{um}. *Hoc ipsum etiam salubriter profitemur et credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, et postea per misericordiam Dei adjuvamus; sed ipse nobis fidem et amorem sui prius inspirat, ut et baptismi sacramenta fideliter requiramus, et post baptismum cum illius adjutorio, quæ sibi sunt placita, adimplere possimus*; ergo.

R. N. Ass. Cujus falsitas ex ejusdem Concilii canonibus num. 292. et 293. recitatis elucet. Sed et ipsi textus objecti verba quædam continent, quibus gratia actualis excitans indicatur necessaria; nam in primo per verba, *Christo auxiliante et cooperante*, præter cooperantem seu adjuvantem, gratia alia, nempe excitans asseritur: in secundo autem observanda veniunt verba, *in omni opere bono nos non incipimus, et postea adjuvamus*, quæ clare prævenientem gratiam enuntiant. Accedit, dogmata ARAUSICANI desumpta esse ex doctrina S. AUGUSTINI, qui plenissime nostram sententiam profitetur.

Inst. 1. Gratia solum requiritur propter supernaturalitatem effectus: sed ad hanc sufficit habitus infusus homini justo; ergo. *Conf.* Voluntas cum solo concursu generali potest actus naturales elicere sine alia excitatione; ergo et voluntas habitu supernaturali instructa sine aliqua excitatione poterit elicere actus *supernaturales*; quia voluntas sic instructa æque potens est ad agendum supernaturaliter, ac voluntas cum concursu generali ad naturaliter agendum.

R. D. m. Sufficit habitus ex supposito, quod inflnat C. sufficit, et potest etiam influere, nisi excitetur N. Voluntas sufficit ad hoc, ut sequatur actus amoris, si amet; non tamen amare potest, nisi præcedat *cognitio*; similiter ergo requiritur excitatio, ut justus evigilet et attendat, se ipsum et habitus applicando ad operationem.

Ad Conf. T. A. Quia et hic excitatio saltem per cognitionem requiritur; N. *Cons. et prob.* ex modo dictis. Quod enim justus operetur actus salutares potius, quam malos, ad quos etiam potentiam habet, *ab excitatione* provenit: hæc vero tribui non potest, nisi misericordiae divinæ; quia alia, quæ *naturalia* sunt, non possunt excitare hominem ad actum supernaturalem.

Inst. 2. Axioma est: *habitibus utimur, cum volumus*; ergo justus absque novo auxilio potest, quando voluerit, cum solis habitibus operari. *Conf. 1.* Habitus infusus supplet defectum excitationis, inclinando per seipsum ad actus salutares; ergo non requiritur excitatio. *Conf. 2.* Ex dictis, principium

physicum cogitationum et motuum indeliberatorum in justo sunt habitus infusi; ergo hi soli sufficiunt.

R. D. A. Cum volumus voluntate sufficiente et proportionata C. volitione alia N. Vis habituum etiam non est proxime sufficiens, nisi applicetur per actus vitales ad actus deliberatos, vel a solo Deo ad actus indeliberatos.

Ad Conf. 1^{am}. R. N. A. Quia habitus movet ad actus mediis aliis actibus indeliberatis tum cognitionis, tum affectionis, quos majores et frequentiores ad actus salutare Deo justis concedit ad presentiam et exigentiam habitus infusi.

Ad Conf. 2^{am}. D. Cons. Habitus soli sufficient, si applicentur a Deo et determinentur ad actus indeliberatos C. sine hac applicatione aut determinatione N. Habitus, maxime infusi, habent se per modum *potentiae* ad agendum *indifferentis*; unde, quamvis sint principium physice productivum, etiam actuum supernaturalium indeliberatorum, tamen eorum determinatio requiritur.

296. Obj. cont. 3^{um}. Sæpe fiunt actus salutare absque ulla *delectatione voluntatis*, imo cum ariditate ac tædio; ergo non requiritur delectatio piæ affectionis.

R. D. A. Fiunt absque delectatione sensibili C. absque ulla spirituali N. Etiam in ipsa pugna et sui ipsius victoria, quantumvis naturæ violenta, intervenit aliqua *spiritualis delectatio* in obediendo Deo; atque hæc delectatio est quam Mystici dicunt devotionem substantialem aut rationalem, quæ in promptitudine animi ad placendum Deo consistit, cum spirituali quadam complacentia inde resultante. De hac loquebatur Apostolus ad Rom. 7. v. 22. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem; video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Similiter S. Aug. hanc delectationem explicat in Ps. 118. conc. 8. ad illa verba: *Concupivit anima mea desiderare justificationes tuas.*

Inst. 1. Posita illustratione supernaturali clare objectum representante, vel voluntas *immediate* potest prorumpere in actum deliberatum; et sic non requiritur pia affectio indeliberata: vel potest sequi *connaturaliter* complacentia quædam indeliberata, qua incitatur voluntas ad idem objectum actu etiam deliberato amplectendum; et sic non requiritur delectatio a Deo infusa.

R. N. 1^{am}. p. Ant. Sicut enim *intellectus* nequit procedere ad actum judicii deliberatum, quin præcesserit actus imperfectus apprehensionis; ita, licet non tanta necessitate, non potest *voluntas* deliberate amplecti objectum, quin prius aliquo actu imperfecto complacentiæ vel displicentiæ moveatur erga illud: quod quidem quoad operationes supernaturales est magis necessarium in natura lapsa, quæ ob *corruptionem* et *infirmiorem* non movetur ad supernaturalia deliberate amplectenda, nisi prius a Deo moveatur aliqua affectione indeliberata.

Ad 2^{am}. p. Ant. R. Vel illa complacentia *connaturaliter* sequens ex illustratione supernaturali est supernaturalis, vel naturalis: si *primum*; habetur intentum: si *secundum*; ergo naturali tribuitur aliqua connexio aut aptitudo positiva ad supernaturale, quod alibi negatum est.

Inst. 2. Concilia nomine *inspirationis* intelligunt etiam *illuminationem*,

ut patet ex TRID. Sess. 6. c. 8. dum dicitur: *Ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; ubi inspiratio illa vocatur ea gratia, quæ ante dicebatur illuminatio.* Item ex can. 3. supra recitato, ubi inspirationis nomen pro gratia excitante universim usurpatur; ergo CONCILIA non officiant.

R. Non ex unis CONCILII, sed ex S. AUG. etiam, cujus verbis locuta sunt Concilia, pugnavimus; liquet autem non *inspirationem solam* ab illo fuisse adhibitam, sed tot tamque diserta vocabula, quæ nulla expositione detorqueri aut tergiversatione eludi possunt. Cæterum equidem verum est, nomen *inspirationis* etiam convenire *illuminationi*, quatenus et hæc, seu cogitatio sancta, ab extrinseco scilicet a Deo infusa vel inspirata dicitur; minus tamen verum videtur, a TRIDENTINO per inspirationem intellectam fuisse illuminationem tantum; tum quia alias, juxta TRIDENTINUM, regulariter et connaturaliter cum illustratione intellectus non esset conjuncta motio indeliberata voluntatis, ut tamen adversarii fatentur: tum quia alias pertractatio et definitio Concilii esset manca circa naturam gratiæ prævenientis, ac penitus excluderetur pia affectio a negotio justificationis; quæ dici nequeunt.

ARTICULUS III.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD COGNOSCENDUM VERUM?

297. Dico I. Homo etiam lapsus potest absque gratia cognoscere quasdam veritates *naturales* tum speculativas, tum practicas.

Prob. 1^a. pars. Veritates maxime sublimes sunt illæ de existentia Dei Conditoris rerum universarum, et immortalitate animæ: sed utramque ab homine et lapso et etiam naturaliter attingi posse in Theologia alibi, ac in Philosophia argumentis gravissimis ostenditur; ergo.

Conf. Licet peccato Adæ vulnus ignorantiae inflictum sit intellectui humano; certum tamen est, rationis lumen non esse extinctum, quo veritatem perspicere valeamus: et S. AUG. L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 22. docet, honestas et utiles disciplinas comparari ante gratiam salutarem. Item licet dæmones careant omni gratia supernaturali, magna tamen pollent naturalium scientiarum notitia, et ex miraculis Christi, illius etiam Divinitatem cognoverunt, ut ex eorum clamoribus colligitur Matth. 8. v. 39. et Luc. 4. v. 41.

Prob. 2^a. pars. S. PAULUS ad Rom. c. 1. cum dixisset Philosophos gentiles ex creaturis pervenisse ad cognitionem Dei et veritatem prædictam de eo colendo; notat eos esse *inexcusabiles*, quia *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.* S. AUG. de illo principio: quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, scribit Psalm. 57. n. 1. *hoc... nemo ignorare permissus est.* De furti autem malitia hæc habet L. 2. Conf. c. 4. n. 9. *Furtum punit læx tua, Domine, et læx scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa delet iniquitas.*

Conf. Etiam post lapsum verum est de homine illud Psalm. 4. v. 7. *Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine.* Unde S. AUG. L. de Sp. et litt. c. 28. *Non usque adeo, inquit, in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint.*

298. *Dico II.* Idem tamen sine auxilio speciali nequit eas cognoscere omnes *collective*, imo probabilius nec *distributive*.

Prob. 1^a pars. Ex angusta admodum mentis humanæ capacitate, vitæ brevitate, veritatum multitudine, infinitis vitæ hujus officiis et aliis impedimentis, præsertim ignorantia, *quam ex justa damnatione*, ut assertit S. Aug. pluribus locis, *patitur omnis homo ab exordio nativitatis sue*.

Conf. Verbis Eccli. c. 8. v. ult. Et intellexi, quod omnium operum Dei nullam possit homo invenire rationem eorum, quæ fiunt sub sole: et quanto plus laboraverit ad quærendum, tanto minus inveniat; etiamsi dixerit sapiens, se nosse, non poterit reperire.

Prob. 2^a pars. Tum ex iisdem prope rationibus: tum quia multæ sunt veritates difficiles adeo et abstrusæ, ut post summam in veritate indaganda diligentiam viri etiam doctissimi eas penetrare non potuerint; et hinc constans inter eos de illis dissidium fuerit.

299. *Dico III.* Ad cognitionem *veritatum supernaturalium* salutarem requiritur gratia revelationis et internæ etiam illustrationis.

Pars 1^a. Constat ex notione entis supernaturalis; cum hæc veritates non sint cognoscibiles *per se*, utpote quarum objecta, sicut excedunt quoad entitatem naturæ vires, sic et earum cognoscibilitas superat easdem: neque etiam cognosci possunt *per aliud*; quia hoc nec potest esse causa vel effectus, utpote iisdem supernaturalia; neque indicia naturalia, qualia nulla dantur.

Pars 2^a. Ample probata est contra Pelagianos eorumque reliquias num. 291.

300. *Observa I.* SS. Patres, AUG. GREG. etc. duntaxat negant, quod homo sine gratia possit cognoscere veritates supernaturales, aut pertinentes ad opera salutaria; aut quod sola cognitione naturali possit pertingere ad mysteria supernaturalia, aut cogitationem sanctam. Apost. 1. Cor. 4. v. 7. non agit de scientia humana, sed de fide et aliis gratiæ donis efficacibus; attamen de scientiis etiam speculativis gloriari haud possumus, tum quia sine gratia inflant, nec discernunt inter bonum et malum; tum quia non sine naturali illustratione et Dei concursu comparantur. In Adamo et Salomone quoad cognitionem perfectam naturalium, specialem Dei favorem intervenisse, ex eodem constat, ex quo novimus eorum scientiam. Angelorum capacitas certo major, at limitata tamen est; unde incertum, quid et quantum collective cognoscere queant. In statu *naturæ puræ*, tametsi non fuissent errores positivi, multæ tamen fuissent ignorantiae negativæ, neque homo ejusmodi novisset omnia.

301. *Observa II.* Posita revelatione, potest homo sine gratia assentiri veritatibus supernaturalibus, assensu fidei naturalis. Nam mysteria fidei nostræ sunt maxime et *evidenter credibilia*; ergo nulla videtur esse causa, cur intellectus sibi relictus iis assentiri nequeat, qui etiam probabilibus assentitur; præsertim cum *heretici* aliqua fidei mysteria negantes, aliis assentiantur, quin fundamentum sit dicendi, illis præter gratiam revelationis aliud auxilium gratiæ concedi. Ad hæc datur *actus naturalis*, qui idem objectum materiale et formale fidei divinæ habere queat; ut patet in

dæmonibus, quibus dum Deus subinde locutus est, ut accidit Jobi 1., illi assentiri poterant actu naturali iis, quæ a Deo dicebantur, propter ipsius testimonium: imo re ipsa *dæmones credunt et contremiscunt*, ut testatur Jac. 2. v. 19. S. Aug. autem L. de præd. Sanct. non ob factam præcise hanc distinctionem fidei in perfectam et imperfectam *Semipelagianos* impugnat; sed quia fidem imperfectam dicebant esse meritoriam, et principium fidei perfectæ ac supernaturalis.

ARTICULUS IV.

AN GRATIA SIT NECESSARIA AD ACTUS MORALITER TANTUM BONOS.

302. *Nota I.* *Wicleff.* et *Joannes Huss* asseruerunt, ex una gratiæ sanctificantis seu habitualis absentia omnia opera peccatoris coinquinari; quem errorem adeo susceperunt *Lutherus* et *Calvinus*, ut etiam dicerent omnia justorum opera peccata esse, etsi illis non imputentur. *Baius* sine charitate perfecta, *Jansenius* sine charitate saltem imperfecta opera facta dicit peccata. Alii negant ab ullo fieri posse opus etiam *moraliter bonum*, nisi habeat fidem explicitam in Christum, aut supernaturalem saltem Dei cognitionem; adeoque infidelis actionem omnem peccati damnant. Porro docuit *Baius*, hominem sine Dei adjutorio non nisi ad peccandum valere, adeoque opus moraliter bonum ex omni parte non posse perfici sine gratia supernaturali et proprie dicta: qua in re habuit sectatorem *Jansenium* L. 3. de statu Nat. laps. c. 15.; imo et aliquos ex Doctoribus Catholicis. Huic positioni communiter contradicunt Theologi Catholici, statuuntque per solas naturæ vires opus morale bonum ordinis moralis fieri posse.

303. *Nota II.* In omni opere *moraliter bono* duo semper juxta S. Aug. L. 4. contr. Julian. c. 3. n. 21. spectanda sunt, officium scilicet et finis. *Officium* seu materia operis juxta eundem est id, quod est faciendum: *Finis* est id, propter quod faciendum est. Iste vero est duplex, nempe vel *finis operis*, seu intrinsecus, ad quem actio ex sese, seu ex natura sua ordinatur, qualis in eleemosyna est sublevatio pauperis: vel *finis operantis*, seu extrinsecus, quem agens pro suo arbitrio sibi proponit, bonum vel malum. Quidam *simpliciter* dicunt, actionem omnem infidelis esse peccatum: alii vero fatentur quidem actionem infidelis posse esse bonam tum ex *officio*, tum ex *fine proximo* seu operis; volunt autem infidelem semper peccare ex defectu *finis* remoti seu operantis, non ideo quidem semper, quasi habeat finem intrinsece malum; sed quia non refert actionem ad Deum, ut oportet. Vid. Tract. de Act. Hum.

304. *Dico I.* Gratia *sanctificans* non est necessaria ad omne opus moraliter bonum.

Prob. Ex SCRIPTURA, quæ pluribus locis monet *peccatores*, ut agant poenitentiam, se convertant ad Deum, peccata eleemosynis redimant; et laudat actiones peccatorum, v. g. Publicani in templo se humiliantis; quæ fieri non possent, si opera peccatorum omnia essent peccata.